



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Filiorvm Israel. Cantemus Domino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Peccati dolor assiduus, luctusque perennis,
 Esuries ardens iustitiæ, atque sitis.
 Auxilio miseri fratris pia cura fouendi,
 Nullis fœda malis pectora, pacis amor.
 Et grauis infestos hostis tolerare furores,
 Iustitiæ rectum quod gradiaris iter.
 Hæc sunt mortales, ipso vel iudice Christo,
 Quæ faciunt læta conditione frui.

CANTICVM FILIORVM ISRAEL.

Cantemus Domino.

CArmina pangamus Domino, se gloria cuius
 Extulit insigni magnificata modo.
 Merfit equum tumidis, infessoremque superbum
 Fluctibus, & sæuas in maris egit aquas.
 Ille mea est virtus, & læti causa triumphi,
 Laus mea, saluificæ semper & author opis.
 Semper erit Deus ille mihi, fuit vsque parenti
 Ille meo, hunc meritæ laudis honore feram.
 Bellatoris opus validi munusque peregit,
 Et meritò titulum cunctipotentis habet.
 In mare proiectos currus Pharaonis equosque,
 Signaque commotis bellica pressit aquis.
 Purpureis lecti proceres periere sub vndis,
 Et bellatorum nomina clara virum.
 Fluctibus impliciti saxorum more profundi
 Descendere suo pondere ad ima vadi.
 Hic Deus alte tuæ patuerunt maxima dextræ
 Robora, ab hostili nobilitata nece.
 Ingenti cum laude tua, multoque decore
 Prostrata interiit turba inimica tibi.

Iterum

Irarum flammis cuncti periere tuarum,
 Flagranti stipulæ sicut ab igne leues.
 In capita ipsorum furioso feruidus æstu,
 Vndique fecisti colligerentur aquæ.
 Ast nobis inter fluctus vtrimque reductos
 (Mirandum) sicco tramite facta via est.
 Scilicet in geminas sciderat se Pontus abyssos,
 Restiteratque fluens iussibus vnda tuis.
 Hostis at ingressos postquam nos æquora vidit,
 Versa sequar turbæ terga abeuntis, ait.
 Persequar, in promptu est illam cōprehendere nobis,
 Ipsi cunctas diripiemus opes.
 Diuitibus spoliis, raptoque implebimur auro,
 Gaudebit tantis mens satiata bonis.
 In profugos stricto rapidi mucrone ruamus,
 Vt genus hoc nostra concidat omne manu:
 Talia communi dum iactant voce, simulque
 Audaces ponunt per vada falsa pedes:
 Protinus Omnipotens celo tua flabra remittis,
 Omnis & in Pharium soluitur vnda caput.
 Demersi vt plumbum fluctus cecidere sub altos,
 Tam rapidas potuit vincere nullus aquas.
 Quem quæso fortes inter memorare queamus,
 Qui tibi se valeat dicere iure parem?
 Magne Deus, superet quantouis robore quisquam,
 Nil tamen ad vires fecerit ille tuas.
 Sanctus es, & titulo hoc excellis quicquid in orbe
 Inclytus vnde tibi conciliatus honos. (est,
 Terribilis Deus es, pariter quoque laude vehendus;
 Mira facis passim, qualia nemo potest.
 Nam simul ac hostes dextram super extendisti,
 Intereunt, ceu quos alta vorauit humus.

Porro

Porro seruitij populum de fasce redemptum,
Deduxi multa cum pierate tuum.
Hunc, inquam, populum robustis viribus vsus
Ad loca direxti sanctificata tibi.
Fama Paleſtinas postquam peruenit ad oras,
Corripuit gentis pectora mœſta timor.
Hinc etiam primi procerum turbantur Idumes,
Et fortis puido corde Moabus erat.
Obriguit Chanaan causa stupefactus eadem,
Inque animis horror, corporibusque fuit.
Hos super anxietas animi, formido, pauorque
Irruat, esse sciant brachia magna tibi.
Attoniti rigeant vt saxum, immotaque cautes.
Detur vt innocua transitione frui.
Pigra illos torpedo liget, nequeantque moueri,
Quo tua gens cœptas terminet vsque vias.
Te duce pergentes læti montana petemus,
Quæ tibi sanxisti sortis habenda loco.
Sancta vbi constitues æuum firmanda per omne
Templa tuæ dextræ cunctipotentis opus.
Victor iô æternum Dominus regnabit, & vltra,
Nec modus imperij, meta nec eius erit.
Impius in medias Pharao descenderat vndas,
Traxerat huc currus, bellica signa, duces.
Hos super ille mare intorquet, fluctusque reducit,
Et grege de tanto nil superesse facit.
At proles Isaci diuisa per æquora tuto
Ingressa est, nec aquis immaduere pedes.

E

Ex